

## S E C V N D A P A R S C A P I T I S

## Querela Sarai contra Hagar, &amp; huius fuga.

- 4 Et ingressus est ad Hagar, quæ concepit. Videns autem illa se concepisse, despectui fuit Domina eius in oculis ipsius.
- 5 Dixit igitur Sarai ad Abram: Iniuria mea super te: Ego dedi ancillam meam in sinu tuum: & videns, quod conceperit, despectui habet me in oculis: Iudicet Iehoua inter me & inter te.
- 6 Et dixit Abram ad Sarai: Ecce, ancilla tua in manu tua est: Fac ei quod bonum in oculis tuis. Afflixit igitur eam Sarai. Ipsa autem fugit à facie eius.

## E X P L A N A T I O.

4. **E**T INGRESSVS EST AD EAM. A Nunc successus consilij & noui matrimonij describitur, partim quidem optatus: quia ancilla ex Abramo grauida facta spem prolis desideratæ ostentat heri & heræ; & ambo haud dubie læti de consilio sibi gratulabantur: partim vero inexpectatus, quia mox iurgia & lites domum hæctenus tranquillam perturbant, & sequitur infelix diuortium: Imo mox omnes imprudentis facti pœnas luunt. Hagar videns se grauidam non vult amplius esse serua, sed domina; Saram heram despicit & floccipendit: quæ iniuriarum impatiens iracundia exardescit aduersus innocetem maritum; & peccata peccatis cumulat: Tandem famulam superbam eiicit, & rumpit vinculum coniugij, cuius prius fuerat author. Hagar impatiens herilis iracundia ex domo Abrami profugit in syluam. Sic multiplex pœna statim secuta est tam splendidum consilium temere & inconsulto Deo initum. Ex quo satis apparet: coniugium illud non omnino legitimum fuisse, nec placuisse Deo: quia grauius à Deo mulctatur. Docemur vero consilia temeraria & à verbo Dei aliena etsi principio arrideant & bene videantur succedere, tan. en tandem in speratos ac tristes sortiri exitus: & ipsis consultoribus pessime cedere: iuxta vulgatum:

ἦδε κακὴ βουλὴ τῆ βουλῆ σου πη καλῆς. Iam in textu parum est difficultatis: ideo non immorabimur. *Primum*, refertur insolentia ancillæ eiusque causa: *Deinde* Expostulatio Saræ cum marito: & huius moderatum responsum: *Tandem* ancillæ impatientia & fuga.

Ad insolentiam ancillæ quod attinet, nascebatur ex eo, quod videret se grauidam esse ex Patriarcha. Hic quidem erat finis coniugij illius per se: quo sicut latebantur Abram & Sara; sic Hagar debuit moueri ad modestiam & reuerentiam heri ac heræ. At illa ex accidenti inolefcit despiciens sterilem Dominam; quam putat, se connubio heri æquare; fœcunditate vero etiam superare; iamque non ad Saram, sed ad se promissiones diuinas de semine pertinere; credibile est, non modo non voluisse dominæ amplius morem gerere, sed & eidem par esse, imo dominari. Et Sara quidem merito pœnas luit inconsiderantiæ suæ; Hagar vero speculum est ingenij humani, *primum* vani & immemoris conditionis suæ, si paululum fortuna arrideat; efferentis se nec non abutentis Dei donis, & gratia superiorum ad insolentiam & fastum; *Deinde* ingrati pro beneficiis acceptis. Debuit Hagar cogitare, se dominæ voluntate ad cōnubium heri venisse; & Dei singulari beneficio fœcundatam esse; proinde fortunam reueren-